

QK. VII, 3



DE
**FONTIBUS QUIBUSDAM
COBURGICIS EXPERI-
MENTA**

QUIBUS
AD MUNUS

PROFESSORIS PHYSICES
PUBLICI ORDINARII IN ILLUSTRI
CASIMIRIANO ACADEMICO
RITE CONSTITUTUS
LECTIONES SUAS

INDICIT

HERRMANN. GOTTLIEB. HORNSCHUCH.
MEDIC. DOCTORAND. PROFESSOR PHYSICES PUBL.
ORDIN. ET PROVINC. COBURGIC. MEDICUS

ORDINARIUS.

COBURGI
EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA.





DE

FONTIBUS QUIBUSDAM COBURGICIS EXPERIMENTA.

Est ea saepe satis rerum naturalium communis conditio omnino dolenda, ut eas, quae nobis semper unt ob oculos, tanquam reiectas nullaque attentione dignas relinquamus. Facile autem ab hac opinione, homine adeo indigna, desistemus, quando naturæ opera, et si primo quidem aspectu simplicia viliaque nobis videantur, per scrutationi paulo curationi subiiciemus; atque et impensus inde labor large effuseque donabitur eo, quod mirabundas eius varietates nonsolum nos tetegisse nos delectabitur; sed etiam suavis memoria operationes naturæ captasse; vnde generi humano haud raro magna nasci potest utilitas: Cuius rei exemplo sit aquae disquisitio. Licet fortassis quidam sint, qui hoc genus laborum nauci floccique existiment, credentes, vel prorsus nullius, vel ad summum pertenuis esse usus tamen huius elementi peruestigatio magni omnino esse momenti mox intelligent, si odo perpendant, quanta

2 A

in

in rebus humanis eius sit necessitas, ita, ut igne potius quam aqua carere vellemus.

Hanc necessitatem tantam esse ex eo praesertim elucet, nullam esse fere artem, ad quam exercendam aqua non requiratur, Nominemus *artem* illam, vulgarem quidem, sed valde necessariam æque ac gratam, nempe *coquinariam*, qualis in illa circa ciborum, praesertim leguminum, potulentorumque cocturam obseruetur differentia, quae persæpe ab aquae puritate maiori minoriue pendere solet. Experitur hoc omnis fere muliercularum gens dolentibus saeque oculis, in primis legumina variis aquis vix emoliri coquendo, cum mutatis iis eadem legumina optime emoliantur. Huius incommodi causam praesertim e partium terrearum abundantia, quae aquis insunt, deriuare studet Marggraf ^{a)}. Easdem differentias circa cereuisiae cocturam obseruare nos licet. Experientia eos in primis docet, qui cereuisia sunt assueti, quacunque pro pedium urbe imo singulo pago aliam atque aliam reperiri huius accepti fluidi speciem; atque nec solum malti et lupuli varia

^{a)} Andr. Siegm. Marggraf Chymischer Schriften I Theil. Berlin. 1761. 8. p. 305. Dass Hülsenfrüchte in weichen Wasser, welche wenig Erde in sich halten, aber weich kochen, davon ist die Ursache leicht einzusehen, weil die so genannten harten Wasser mehr Erde in sich führen, und dieser halb die Hülsenfrüchte nicht so geschwind durch geben können. Da sich auch während des Kochens immer etwas von dieser Erde aus dem Wasser scheideet, und sich an die zu kochenden Früchte haenget; so kan bernach das übrige Wasser nicht so geschwind eingringen, als ein anderes Wasser, welches weniger Erde bey sich führet.

varia indoles ratioque in culpa esse ex eo manifestum est,
 quod saepe omni etiam adhibita opera et cura, mutatis
 simul maltoet lupulo, eadem tamen cereuisiæ indoles
 manserit. Talis experientia de cereuisia Lipsica constat,
 quae vulgari nomine *Rastrum* venit. Huius indoles
 atque mixtio tam reprobata est, vt non sapor solum nec adeo
 gratus sit palato, sed et altera tertiaque die post coctionem
 iam iam acefcat. Cui incommodo varia opera multisque
 impensis mederi studuerunt, sinistro autem euentu, cum
 semper, quibuscumque tentaminibus institutis, sic dictum
Rastrum obtinuerunt. Igitur aquæ aliquid tribuendum
 esse omnino censemus; neque sententia nostra a vero adeo
 aberrabit, si perpendimus, e terræ saliumque, quae aquæ
 insunt, diuersa indole, etiam diuersas fieri debere solutiones
 et mixtiones. Constat enim omnem cocturam eo perfici, vt
 particularum ignearum ope aqua in corporum poros pe-
 netret eorumque cohaerentiam mox aliquo tantum modo,
 mox penitus dissoluat. Quando itaque fit, vt aqua multis
 imprægnata sit particulis heterogeneis, præsertim terreis,
 tunc e sententia *Margrafi* superius allata, particulae
 aqueae impediuntur, quo minus corpora coquenda intrare
 eorumque partes apte soluere possint. At si vero particulis
 salinis aqua abundat, tunc corpora melius quidem sol-
 uuntur, sed inde etiam accidere potest, vt quarundam par-
 ticularum, e. g. resinosarum et oleoso-vnguinosarum,
 nimia fiat solutio, et nouæ oriantur mixtiones, quæ
 prouti sunt, saporem plus minusue gratum reddere
 valent. Numne hæc in primis ad cereuisiarum differentiam

A 3

aliquid

aliquid conferre possint, non sim, qui prorsus abhorream? Tandem, si aqua paucissimis imbuta est particulis heterogeneis, ita ut ad puritatem destillatae fere accedat, qualis est pluialis et niualis, tunc optime ad coquendum b) iudicatur, quoniam corpora facile ingreditur, nec mixtionem partium sapidarum turbat, et

Sic melius possumus puros seruare sapore.

Hanc rem exemplo illustrare nos liceat. Experiencia multis constat, ea plerumque aqua, qua potus Theae sapidus parari potest, potum illum adeo laudatum deamatumque, Coffea nempe, qui nunc aris ad haras, et a tiraris ad triarios abiit, peruilem neque palatum ita titillantem parari; cum ex altera parte hic potus gratiор redditur tali aqua, quali ille minus grato euadit sapore. Rationem huius discriminis in eo quaerendam esse putamus; cum potum theatum semper infusione praeparamus, cupidi subtilissimas tantum partes extrahendi, quem finem aqua puriori optime consequi valemus; quoniam reliquarum partium solutio, in primis resinoso - gummeorum, quae linguam illo nimis adstringente feriunt, sapore partim nec, adeo cito, partim fere nulla fieri potest, nisi per longius temporis spatium digeratur aut coquatur. Potus vero Coffea acceptius preparatur, si aqua, pratibus salinis copiosioribus praedita, adhibetur; nucleis enim tostis, qui particulis oleosis empyreumaticis scatent, tali aqua menstruum aptum

b) Sic pluviale aquam ad carnem tenacem, ossa et legumina bene coquenda commendat Wallerius in Hydrologia oder Wasserreich, von Denzo übersetzt. Berlin, 1777. 8. p. 12.

aptum additur, quod eas commode soluere valet, Praeterea circa præparationem horum potuum notat *Wallerius*.
c) semper aquam fontanam aut fluuiatilem adhibendam esse; ex aëre enim collecta, qualis est pluialis, cereuisiam sapidam quidem dare, facile autem acescentem sicutique vix explentem; sic etiam potum theatum et coffetanum saturatiorem, sed minus gratum fuisse. Tandem et aquam niualem eamque ex grandine liquata factam ad coquendam cereuisiam optimam censer idem *Wallerius* *d*), quoniam puritate omnibus antecellat; unde etiam fieri, ut cereuisia mense Martio cocta bonitate reliquam supereret, quoniam eo tempore scaturigines et fluuii aqua niuali abundant.

Porro maximum confert aquae conditio ad linteorum insolationem. Scimus enim alteram aquam praे altera linteis maiorem in ducere candorem, e. g. aqua congelata *e*), pluialis et post has fluuiatilis. Addamus et id, quod regiones quasdam hac in re prærogatiuas habeant, quarum una est Silesia, de qua omnes mulierculæ sciunt, linta, ibi insolata, caeteris candidiora euadere. Neque aliis in locis vix eam in hac arte perfectionem attingere potuerunt, quamquam et linta et aquas vario modo præpararunt.

Tandem etiam manifestum est in arte fullonica multum ab indole aquae pendere, quo panni et moliores et speciosiores reddantur; nam de belgicis et anglicis artis periti semper in eo consentiunt, præstantiam eorum non

e) I. c. p. 13. *d*) I. c. p. 25. *f*) *Waller.* I. et pag. c.

VIII

nam a lana praestantiori, quae quidem confert, quam earum regionum singulari aquae conditione ortum habere. Licet et multa in his artibus antea nominatis experimenta, ut plurimum quidem frustra, iam tentata fuere; tamen non dubitamus fore plura, quae hac in arte detegi possent, si partes aquarum, ad hanc vel illam artem praeципue praestantes, curatius examinarentur et chemica sciungentur arte, nomine interdum peculiare quidquam partium mineralium admixtum in eis deprehendatur, vnde haec virtus declarari possit. Fortassis etiam res aliquo modo ex eo dilucidaretur, si conditio subterranea eiusmodi regionis, quam aqua, ad has artes praecipua, permeare debet, exactius determinaretur.

Eadem ferme ratio esse videtur, cur quibusdam locis *colores tinctorum* splendidiores reddi possint alii; vel quid sit, quod uno eodemque loco quidam color prae reliquis excellat? Quae sententia ex eo iam corroboratur, quod satis comprobatum sit, hoc genus colorum pulchritudine maiori eminere, si aquae sic dictae molliores, quales sunt pluialis, fluviatilis et stagnas f) ad eos conficiendos adhibentur, quae semper puriores sunt aquis putealibus. Sed pluialis purior ex eo iudicanda, quod solummodo ex subtilioribus vaporibus in aere collectis constet, rudioribus particulis in terrae gremio relictis. Fluviatilis autem ob perpetuum flumi-

f) Wallerius I. c. p. 44. aquam paludosam ad bene tingendos pannos prae reliquis commendat. Exempli loco nominat *Lacum Harlemensem* in Hollandia; sed praecipuus pannos ibi fabri fieri, quis est, quin sciat?

Ruminis decursum cribatur quasi, et variae in primis terreae particulae separantur et dimittuntur, quod ad ripas rivulorum et latera canarium saepe videre est, cari partibus terrestribus subtilioribus, e. g. tophaceis aliisque calcareis obducta esse. In stagnante tandem aqua ex putredine perpessa partes heterogeneae magis sunt solutae, terreae multae praecipitae et salinae melius inter se in uicem mixtae, quo facto postea ad diversas illas mixtiones subeundas aptius redduntur.

Plura quidem adhuc de vsu aquae oeconomico proferre possemus, e. g. aquam stagnantem ad structuram cementitiam et gypsamatam prae caeteris praestare; fluentem melius quidem sordibus purgare ea, quae strata arenacea et saxa percurrit; citosuentem vero illa candidiora reddere tardius fluente; pluvialem fermentationi fauere, indeque etiam ad coquendum panem bene adhiberi. Sed sufficiant haec ad rem nostram aliquo modo tuendam. Etsi quidem lubenter concedimus, ea, quae nunc sumus prolati, ad explicandas omnes circa has res, praecipue culinarias, notaras obseruationes, non sufficere; sed fortassis etiam aliis particulis aquae mixtionem ingredientibus praecipue aethereis aliquid tribuendum esse, quarum vis actiua in fontibus soteriis se manifestat, quaeque per experimenta cum olla Papiniana facta, extra omnem dubitationem ponitur; tamen ad varias, cogitationes et veteriores disquisitiones ansam praebere posse existimamus iis, qui talibus rebus delicitantur. Sic etiam, cum in huius elementi historia naturali multa supersunt, quae maiore dilucidatione egent, tales peruestigationes eo inseruire possunt, ut ei clarius

B

lumen

lumen adfundatur, si a viris eruditis aquae in usuaque regione xaminarentur, quo demum fieri posset, ut vmbrae, quibus haec scientia hactenus obnubilatur, si non prorsus, tamen cum maxime dissiparentur.

Vltimo denique loco quaedam de effectibus aquae in corpus humanum monere liceat, quibus horum experimentorum vtilitatem aliquo modo probare censemus. Superius iam commemorauimus aquam permulta imo fere omnia ciborum potuumque genera ingredi; deinde, cum nostra plus, quam alia aetate, a multis aqua pro potu consueto eligatur, patet, eius puritatis differentia nobis omnino multum interesse debere; quoniam hac neglecta corpori simul ingeruntur multa, quae ei nec adeo bene conducere, ideoque varia incomoda creari possunt. Quantum autem aqua in corpore humano valeat, iam quotidiana docet experientia; videmus enim eos, qui patriam cum loco remotiori commutant, variis saepenumero morbis, in primis cutaneis, obstructionibus vel ex opposita parte, alio laxa vexari, qui non sine ratione aqua et coelo mutato tribuuntur. Illustri nobis sint exemplo Salisburgenses et Tyrolenses, qui ex aquae peruersa conditione colla habent tumentia, et glandulis obstructis strumisque luculentissimis, miro modo de collo pendentibus, ut morbis endemiciis laborant. Quibus igitur rebus perpensis omnino operaе pretium esse putauimus, quorundam fontium in yrbe nostra eiusque confiniis scurientium examen instituere, et in hac noua mihiique tam honorifica scribendi opportunitate experimentorum relationem prolusionis argumento eligere. Anteaquam vero ipsa

ipsa enumeramus experientia, situm urbis et conditionem locorum proxime adiacentium aliquomodo delineare liceat.

I. Urbis maxima pars sita est in ampla longaque valle satis amoena, frugifera, quae a septentrione meridiem versus trahitur, et ex orientali plaga et occidentali montibus Mariae altitudinis circumsepitur, quorum quidam, v. g. der *Vestungsberg* et *Eckardtsberg* ad primaeuos (*Ganggebürge*) omni iure referri merentur, reliqua autem potius ad eos, ex diluviis insignioribus et aliis globi terrauei mutationibus ortos (*Floetzgebürge*) pertinent. Corium, quo eorum tergum obductum est, et quod varia ratione colitur, diuersae indolis deprehenditur, plurimis tamen in locis terra vel lutosa grauiterque cohaerens fusca aut fuscorrigra, vel albida, arenacea animaduertitur. At sub eo strata genere et colore varia conspiciuntur quae praecipue in his montium locis, viis maioribus dissectis, oculis patent, et vario modo alternant. Reperiuntur enim strata lapidis scissilis, coloris saturate rubri, instar rubricae, tactu quadammodo pinguis, aequalis texturae, interspersis tamen miculis albis; a variis incolis *Steinekeuper* nominatur. Salibus neque acido neque alcali effueret, odorem tantum edit argillaceum. Aqua destillata immersus simili modo ut terra lemnia, crepitatione excepta, breui dehiscit; iterum siccatus non cohaeret. Candefactus dilutior fit colore, durities augetur et miculae plures in conspectum prodeunt, neque etiam nunc aqua forti instillata effueret.

Sub hoc strato utplurimum aliud iacet lapidissillis; coloris viridis, textura aequali, miculis paucioribus, quarum

B a

nume-

numeris igne adhibito non augetur. Salibus etiam non movetur, neque odorem edit, neque aqua destillata dissoluitur. Igni traditus color viridis in dilata fuscum mutatur, cohaesio inminuitur et cum aqua forti effervescent. His demum hinc inde strata arenacea, lapideque, calcarei et arenacei generis, interpolantur, quorum quaedam vel saxeä, vel quadrata mole montium lateribus prominent.

Talis est conditio receptaculorum, e quibus maxima pars aquae, quae apud nos in usu est, derivatur. Quae autem, dicendi argumento praemittenda esse, ex eo utile iudicauimus, quod ex conditione locorum, quae aquarum venae perreptant, conditio aquae intelliqi possit Vulgari enim experientia iam constat, aquas montanas semper esse puriores iis, quae ex locis depresso aut puteis hauriuntur.

II. Sed ad specialiorem nostrorum fontium disquisitionem nunc progrediamur, atque videamus, qualis sit eorum mixtio et natura. Primo itaque loco de iis fontibus agamus, qui e montosis locis promanant, quibus deinde eos subiungamus qui, in profundiori urbis regione puteis feruantur.

Der Stallbrunnen.

Fons, de quo nunc agamus, est ille, qui in equili SERENISSIMI DUCIS prosilit, vnde etiam nomen *der Stallbrunnen* accepit. Ob puritatem suam magnam sibi adscivit salubritatis famam; inde factum est, ut a multis pro potu quotidiano electus sit. Scaturigo fere in medio montis est

est, der *Vestungberg* nominatus a qua per canales ad equile
vsque deducitur. Aquam protrudit claram limpidamque,
saporis de reliquo puri, linguam tamen sensu quodam duro
paulisper afficientis; odoris nullius. Chemicis tentami-
nibus institutis sequentes animaduertimus mutationes.

- 1) Syrupus violarum huic aquae adfusus post quinque
horas viridis sit.
- 2) Solutione argenti g) instillata lenis lacteus color appa-
ret, qui post octauam horae partem in fuscum
abit colorem, idemque sedimentum deponit,
quod sensim sensimque in nigrum fere mutatur
colorem.
- 3) Solutione mercurii viui nubeculis turbatur flauis,
quae sedimenti forma, coloris risigalli, flavi fundum
petunt.
- 4) Solutione mercurii sublimati nulla fit mutatio.
- 5) Solutio cupri statim caesio mutatu: colore, et flo-
culi eiusdem coloris fundum versus descendunt.
- 6) Solutio sacchari saturni alba praecipitatur.
- 7) Solutio aluminis ab initio perleuem ebulliti-
onem efficit, sine eo, quod aqua turbetur; ast

B 3

paulo

- 8) De praeparatione reagentium id monendum esse censemus,
metallicas solutiones, argenti et mercurii viui aquae fortis re-
purgatae ope factas esse, ita ut partem unam huius solutionis
aqua destillatae partibus decem diluerimus. Idem cum oleo
tartari per deliquium fecimus. Solutionem autem cupri aqua
forti communi parauimus. Reliqua denique salia, qualia alumina-
sa ammoniacum depuratum, mercurius sublimatus et sic-
charum, Saturni aqua destillata soluimus.

paulo post superficies superior nubecula obscuratur alba.

- 8) Oleo tartari per deliquium diffuso, colore albo leniter tingitur aqua et album sedimentum deponitur.
- 9) Instillato spiritu salis ammoniaci nubecula alba creatur.
- 10) Spiritu vitrioli lenissime ebullit.

Ex his igitur experimentis verosimillime colligere licet, huic aquae in primis quasdam partes alcalinas esse admixtas. Praecipue hoc apparet ex illo experimendo (no. 3.), quo solutio mercurii viui colore flavo praecipitatur, quod nunquam, nisi sale alcali, euenit. Huius salis praesentia ulterius confirmatur per experimentum no. 1. sum syrupo violarum factum, cuius color caeruleus in viridem mutatur. Etsi quidem sunt, qui dicunt, hunc syrupum etiam salibus mediis eandem coloris mutationem pati b); tamen eos nos concessuros fore speramus, ut haec mutatio non a sale medio utrero medio oriatur, sed eo, quod alcali predominet. Idem comprobat experimentum s. cum soluto cupro institutum, quo sedimentum eiusdem coloris praecipitatur, ac si tali solutioni purum alcali additur. Porro experimentum 7 et 10 nostrae sententiae aliquod pondus addunt, vbi acidum aluminum et vitrioli cum aliqua ebullitione in alcali minerale agunt. Album demum praecipitatum ex soluto saccharo saturni (exp. 6.) partes alcalinas suspicari licet, quae cum acido acetii, quo plumbum fuit, solutum se coniugare malunt, et partes metallicas

b) Wallerius *Hydrologie oder Wasserreicht.* Berlin. 1757. p. 169.

cas plumbi ita expellunt, ut pulueris albi forma prae-
cipitentur. Quod ad experimentum 2 attinet, huic aquae
acidum sulphareum inesse ex eo iudicari potest, quod
argentum solutum subnigro tingatur colore. Experi-
mentum demum 7, 8 et 9 partes alcalinas terreas indi-
cat, quibus aqua impraeignata est.

Quo vero nos de quantitate partium cum salinarum
tum terrearum certiores redderemus,

ii) aquae libram vnam ponderis pharmaceutici ad
remansionem vnius circiter vnciae per alembicum destil-
lauimus, quo facto particulas albas terrestres in fundo
cucurbitae animaduertimus, has eluimus, et in
concha murrhina radiis solaribus ad plenariam eva-
porationem exposuimus; quo tandem remansit recre-
mentum terreum, perleue, candidum, micans, pondere
granorum trium et dimidium, paucas secum habens par-
tes salinas, quae versus marginem adhaerebant; terreae
vero fundam conchae obtegebant. Sapor erat leniter alca-
lescens; linguam gustantis pungente sapore feriens,
vti salium alcalescentium mos est.

12) Hoc recrementum probe collectum denuo aqua
destillata calida infudimus et per filtrum, e charta bibu-
la factum, traiecumus, quo salinae partes a terreis separ-
entur. His factis in filtro remanserunt grana fere tria
terrae albæ, naturæ calcareae, quod manifestum
fit, ut

- a) Spiritu nitri adito valde effervescit simulque soluatur.
- b) Sale ammoniaco depurato trita, volatile vrino-
sum liberatur et odore suonares ferit

Itaque



Itaque granum dimidium, quod superest, salinae sunt particulae; quibus autem, ob nimiam paucitatem, vteriora tentamina instituere non potuimus. Interim tamen eaurem indeoles ex *supra* iam recensis aliquo modo patet.

Der Queckbrunnen.

Nunc ad alium fontem non minus celebrem progrediamur, cuius salubritas a multis iisdem effertur laudibus, quam praecedens. Est ei nomen *der Queckbrunnen*, et proxime ad portam suburbii, quae porta lapidea superior (*das obere Steintor*) dicitur, e radice montanorum versus orientem sitorum prouenit. Aquam edit limpidam, odo-ris aliquo modo putris, nares leniter stimulantis; sapor mitior odore. Post agitationem vehementiorem multae bullulae aëreae pelluciditatem turbant. Regantibus sic dictis eas dem fere subit mutationes, quam praecedens, exceptis quibusdam differentiis statim indicandis.

- 1) Syrupus violarum demum sex horis praeterlapsis in viridem abit colorem.
 - 2) Solutio autem argenti sexta iam hora, post quam instillata est, fuscum recipit colorem (*braunroth*).
 - 3) Solutio mercurii vitri, ut in praecedenti.
 - 4) Solutione mercurii sublimati autem nubecula alba in fundo vasis oritur, quae post horam praeterlapsam augetur et tandem per omnem aquae massam distrahitur.
- §. 6. 7. 8. 9. 10. cum praecedenti conueniunt.

ii) Lima-



ii) Limatura marris hac aqua, superinfusa post aliquor horarum spatium in superficie ferragine arroditur, qui apud chemicos *crocus* audit. Huic infuso infusum frigidum gallarum, cum eadem aqua factum, instillauimus, ex quo statim aqua antea limpida et tenuibus nubeculis cinereis obscurata post sedecim horas sedimentum nigrofuscum in fundo vasis depositum Duobus diebus praeterlapsis liquor supernatans viridis evasit.

E quibus nunc propositis videmus, hanc aquam maxime cum praecedente conuenire, praeter id, quod salinae partes (exp. 4.) mercurii coniunctionem cum sale acido potentius tollere valent praecedente. Quod ad tentamen ii. attinet, quo ex commixtione infusi limatura maris et gallarum nubeculae cinereae, atramenti scriptorii diluti ad instar et sedimentum nigrofuscum ortum est, non immerito ad praesentiam acidi mineralis cuiusdam concludi posse nobis videtur, et quidem vitriolicum nominare mallemus ⁱ⁾, quoniam tentamen 2 id aliquo modo iam patefacit, quo argenti solutio fusca tingitur, quod alias quidem acido sulphureo adscribitur, sed hoc idem esse illo, quis chemicorum est, qui nesciat?

12) Tan-

ⁱ⁾ Illustr. Delius in tractatu, von dem *Gesundbrunnen bey Sichtersreuth.* 1774. probe quidem monet, ex solutione ferri in acido salis communis et gallis etiam atramentum scriptorium fieri; tamen ab hoc acido argentum non fusco colore tingitur. Inde melius acido vitriolico tribuere voluimus, quam sine necessitate urgente duo acida contendere.

C

XVIII

- 12) Tandem huius aquae libram vnam destillationi et euaporationi, vt in praecedenti, tradidimus, quibus peractis sedimentum terreum impetrauimus, pondere granorum duorum et quod excurrit, coloris albidi; saporis terreo-salini, aliquomodo alcalescentis, qualis est in arcano duplicato.
- 13) Hoc iterum aqua destillata calida infudimus, quo parres salinae a terris liberarentur, et percola uimus; hoc modo obtinuimus terram albam, leuem, indolis calcareae, pondere grani fere vnius et dimidii, quae
- a) Spiritu nitri vehementer efferuet et in eo omnis soluitur.
 - b) Cum sale ammoniaco depurato trita, huius salis vrinosum votatile liberatur.

Liquor autem percolatus cum solutione mercurii viui commixtus, hunc albo colore praecipitauit, euidenti argumento, huius aquae salem mediae esse naturae, quod etiam experimento 2. et 4. confirmatur, vbi argentum solutum; ut in praecedenti, ab initio lateo, et mercurius sublimatus albo colore praecipientur. Reliqua, quae alcali praesentem prodere videntur, cum a terra calcarea, tum quodam alcali volatile, quod destillatione auclauit, possunt proficiisci.

[Der] Brunnen auf dem Markte an der Rosengasse.

Huic subiungimus fontem salientem, qui in foro proxime ad introitum plateae, die Rosengasse distat, profluit.

Eadem

Eadem est origo cum praecedentibus, cum ex iisdem montibus per canales ad hunc locum derivatur. Aquam edit pellucidam, sapore gratam, neque ullo peculiari odore praeditam.

- 1) Syrupus violarum duabus horis delapsis viridem iam induit colorem.
 2. 3. 4. 5. 6.) vt in praecedenti.
 - 7) Solutione aluminis leuiori albo colore turbatur.
 8. 9. 10.) vt in praecedenti.
 - 11) Solutione vitrioli ferri addita, sedimentum luteum ad fundum secedit.
 - 12) Libra vna huius aquae destillata et euaporata, reliquit granum vnum et dimidium residui terrei albi, leniter salini.
 - 13) Residuum hoc aqua destillata edulcoratum dedit terram per leuem, calcaream, pondere gr. vnius, quae cum spiritu nitri et sale ammoniaco depurato eosdem edit effectus, quam praecedens.
 - 41) Liquor edulcoratione relictus, et partibus salinis imbutus,
 - a) additam solutionem mercurii viui flavo colore praecepit,
 - b) Solutio autem mercurii sublimati opalino colore eum turbat, qui permultis rufulis radiis resplendet.
- Quod ad contenta huius aquae attinet, experimentum 13 terram calcaream ei inesse clare testatur. Salem vero magis alcalinae partipem esse naturae, ex eo probabile fieri nobis videtur, syrup. violar. (exp. 1)

citius mutari; deinde etiam liquorem percolatum (exp. 14), omni terra calcarea liberatum, mercurium viuum flavo colore praecipitare.

Ad huius fontis indolem quam proxime accedere illi fontes, qui profluant in opposita fori parte, deinde in plateis die Ketschengasse et Steingasse dictis, veritati maxime consentaneum esse credimus, quoniam cum his, modo recensitis, communis gaudent origine; nam variae scaturigines, in illis montibus cisternis collectae et per canales ad urbem ductae, fontibus nominatis aquam praebent. Huius rei veritatem quaedam tentamina cum singula scaturigine instituta comprobant, quae aquam suam tali receptaculo communi tradit; haec tentamina antea indicatis apprime respondent. Qua occasione observationem circa hanc scaturiginem factam, indicare liceat, nempe quod terram tophaceam soueat, qua plantae in primis musci adnasentes, aliaque corpora incrustantur, cuius rei quedam exemplaria, musci incrustati, et aliud frustum satis magnum, quod lapidi quadrato adhaesit, adhuc seruamus.

Addamus denum aliud fontem, qui modo per tractais ex opposita protenit parte; nam eius prouentus in illo montium tractu est, qui per regionem occidentalem ducitur, et ex iisdem ferme stratis, supra iam descriptis, compositus est. Est ille fons celebris, qui e canali ligneo proxime ad principium istius viae profluit, quae ad illius montis cacumen dicit, quod die Huth dicitur, et a cuius parte superiori per canales hoc deriuatur, sub nomine

Der



Der Hoellbeerleinbrunnen.

omnibus notus. Gaudet limpidissima aqua, nullius odoris, saporis autem lenissime adstringentis, vnde et nomen accepisse fertur, quoniam sibi persuadent, saporem Vaccinii vitis idaeae Linn. f. Vacciniae rubrae aemulari (er schmeke wie Hoellbeerlein.) A credulis in primis in oculorum vitiis multis mirisque laudibus extollitur. Tantamina chemica hoc fonte instituta easdem quidem mutationes, tamen leuiiores antecedentibus, produxerunt; sic.

- 1) Syrupi violarum color demum horis sedecim præterlapsis in viridem mutatus est.
- 2-7. 9. et 10.) ut in superioribus, tantum modo debiliores apparuere mutationes.
- 8) Oleo autem tartari per deliquium, nec citius, quam post horae spatiū tenuis nubecula alba exsurgit.
- ii) De huius aquae libra vna destillata granum unum et dimidium recrementi accepimus, cuius maxima pars terrae albae splendentis, perleuis, fuit, saporis leniter salini, qui a salis mirabilis Fridericiani sapore parum absuit.
- 12) Recrementum aqua destillata colationis ope a partibus salinis liberatum dedit terrae albae, perleuis, granum fere unum et dimidium, ita ut partium salinarum copia vix pro quarta parte censenda est. Ratione indolis haec terra, ut reliquae, pro calcarea habenda est; nam spiritu nitri et sale ammoniaco admixto eaedem animaduertuntur mutationes.
- 13) Liquor percolatus salibusque scatens addita

C 3

a) Solu-



- a) Solutione mercurii vii eodem modo ut aqua ipsa nubecula sublutea obscuratur, sedimentum vero pallide flavum ad fundum secedit.
- b) Solutione vero mercurii vii adfusa tenuis nubecula opalina appetet.

Quae cum ita sint, omnino ratione salis immixti concludere licet, hanc mediae quidem naturae esse, in quo vero alcali praedominatur, quod praesertim color pallide flavus mercurii vivi (exp. 13a) prodit.

Der Quellbrunnen am Steinwege vulgo, der Kindleinsbrunnen.

Ad eam suburbii plateam, quae via lapidea (*der Steinweg*) nominatur, ad ripas fluvii, *die Itz* dicti, acclive fonte scatet, quod, quantum inquirere licuit, maxime iisdem stratis, ut reliqui montes adiacentes, constat. Ob aquae limpitudinem praecipuam uti et saporis puritatem, magnis laudibus celebratus, vnde a multis ad fontes praecipuos refertur, et ad bibendum reliquis anterferuntur. Tamen hinc inde observatum est, ut quibusdam, qui huius fontis aquam pro potu consueto eligerunt, tussi sicca et interdum nec adeo leuiori, affecti sint. Sic etiam ad usus culinares omnimode adhiberi nequit! leguminosi enim fructus hac aqua cocti, non emolliuntur. Reagentibus instillatis plerumque mutationes eadem, vt in superioribus fontibus, apparent. Sic

1. 2. 3.) simili modo se praebent vt *in dem Stallbrunnen*,
 4.) vt *in dem Quekbrunnen*,
 5. 6.) vt *in dem Stallbrunnen*.

7) Solu-

- 7.) Solutione aluminis ab initio nubeculae albae orion-
tur, quae vero mox iterum disparent, quo simul aquae
limpididas iterum redit.
8. 9.) ut in dein Stallbrunnen.
- 10.) Spiritu vitrioli instillato singulae tantummodo
bullulae aëreae exsurgunt.
- 11.) Distillatione librae vnius huius aquae peracta, gra-
na nouem incrementi terreo-salini remanferunt, co-
lore albo nitente, de quo
- 12.) Salinis partibus aqua destillata calida extractis,
grana fere tria partium terrearum in colo sunt reli-
ctae, quae
- a) cum acido nitri effluent; partimque ab eo sol-
vuntur, partim indissoluti remanent.
 - b) Sale ammoniaco trita, volatile urinosum huius sa-
lis modo leuiter liberatur.
- 13.) Liquor filtratus solutione mercurii vivi commix-
tus statim partes metallicas mercurii albo colore for-
titer praecepitavit. Mercurius sublimatus solutus au-
tem post horae dodrantem demum tenuem nubecu-
lam albam efficit.
- 14.) Liquore euaporato apparebant partes salinae, quae
partim cristallos albidos, angulares, in viraque fine
etispide carente, partim concretum salinum irregu-
lare repraesenbant; hoc linguam pungente sapore
fortiter afficiebat, cum ab illis lenior percipiebatur
sapor. In aere humido liquevit.
- Quod ad partes huius aquae heterogeneas attinet, secun-
dum exper. 11 et 12 videmus ei terram, et quidem partim
calca-

calcaream (exp. 12), seleniticam inesse, quae nempe acidio nitri non soluitur (numne ab hac terra pendeat illa tussis, quam interdum creat, quoniam in ventriculo irresoluta manet, et cur legumina non emoliat?) Exper. 13 et 14. salinas partes nobis praebet, quae quidem secundum exp. 2. 7 et 13. mediae indolis esse videntur, quarum tamen partem maiorem ad alcalinam referendam esse ob exp. 1. 3. 5, et pungentem saporem et humidi attractionem exp. 14. existimamus. Circa exp. 13. adhuc notari meretur, mercurium sublimatum album demittere sedimentum, cum in exp. 3. maxima parte flavum demisit.

III. Nunc ad aliud fontium genus progrediamur, qui puteis asservantur et antilarum ope hauiuntur. Siti sunt singuli eorum in humiliori urbis parte, et differentia non solum ex iis iam patet, quae supra circa loci differentiam monuimus; sed experimenta etiam cum his fontibus instituta huius sententiae veritatem ulterius confirmabunt. Primo itaque loco illius fontis puteani naturam disquiramus, qui ad forum salarium (*der Salzmarkt*) est. Aquam habet limpidam, sapore aequo ac odore puram. Reagenta admixta sequentes effecerunt mutationes.

- 1) Syrupus violarum duodecim horis delapsis modo subuiridis fit.
- 2) Solutio argenti statim ab initio nubeculis albidis praecedentibus densioribus precipitatur, quae iam quarta horae parte praeterlapsa nigricantem induunt colorrem.
- 3) Solutione argenti viui aqua pallide luteis crassisque nubeculis obscuratur, quarum pars ponderosior eodem

dem colore subsidet, quam leuior supernatans colore subalbido pederentim sequitur; tandem et hac subsidente omne sedimentum luteo-cinereum recipit colorem.

- 4) Solutione mercurii sublimati post aliquot demum horarum spatio claritas aquae nubecula alba turbatur.
- 5) Solutum cuprum subcaeruleo sedimento, in virescens-tem colorem aliquo modo vergente, praecipitatur, quem *Sacbsengrün* appellare solent.
- 6) Solutum saccharum saturni ut in prioribus se habet.
- 7) Solutio alumine lenis ebullutio, et color opalinus oritur.
8. 9. 10 et 11) *vt im Queckbrunnen.*
- 12) Libra vna aquae destillata reliquit grana septem et dimidium subalbidi recrementi, saporis alcalescentis, humiditatem aëris attrahentis.
- 13) Recrementum colatum duas circiter tertias grani terrae albidae dedit, quae cum spiritu nitri valde effervescunt et soluitur ab eo; igitur calcareae naturae censenda; nam sale ammoniaco soluto trituta, odor vrinosus etiam sentitur.
- 14) Liquore percolato solutiones mercurii sublimati et viui albo colore praecipitantur.

Ex his demum experimentis, in primis 3. 4. 5. 6. 7. et 14. apparet, huic fonti sal quidem medium, predominantem tamen alcali, in esse, quod color subluteus mercurii viui (exp. 3), ebullitio ex acido vitrioli puro (exp. 10) et eo, quod alumni inest (exp. 7), et tandem

D

sapor

sapor alcalescens humiditatisque attractio (exp. 12) de-
claraet. *Der Brunnen im Wittmannschen Hause.*

Non procul ab hoc fonte alias in domo Dni Wittmann junioris, mercatoris reperitur, cuius aqua limpida quidem et nullius odoris est, sapor autem peculiaris quodammodo hebes. Concussione fortiori multae bullulae aëreae, fere ut in felterana animaduertuntur. Ad usum culinare minus commode adhibetur, quoniam cibis peculiarem suum saporem communicat, et vasa aenea admodum arrodit. Verum secundum possessoris relationem olim a multis ad potum consuetum fuit electus, quoniam varia in corpore leuamina bonosque effectus exinde fuisse sentitos asseuerarunt.

- 1) Syrupus violarum post tres horas viridis fit.
- 2) Solutum argentum praecedenti crassioribus nubeulis albis praecipitatur; quae mox nigrae animaduertuntur.
- 3) vt in praecedenti.
- 4) Solutus mercurius sublimatus statim albus praecipitatur.
5. 6. 7. 8. 9. 10) vt in antecedenti.
- ii) Solatio vitrioli martis sedimentum crassum aurantiacum demittit.
- 12) Spiritu vini rectificatissimo paulisper lactescit.
- 13) Limatura martis, hac aqua infusa, easdem subit mutationes vt in Queckbrunnen, praeter id, quod eae hac in aqua citius sese monstrant.
- 14) Ehuius

14) E huius aquae libra vna destillata grana decem et dimidium residui flauescens obtinuimus, maxime e partibus salinis, terreis vero paucis, compositi Indoles salis partim nitrosa videtur, quam sapor refrigerans et cristalli oblongi, nitri ad instar formati, prouidunt; partim media, linguam pungente illo sapore, ut antecedentes, nullo modo feriens, Huius salis praesentiam confirmant etiam exp. 5. vbi cuprum praecipitatum magis in viridem vergit colorem, et exp. 12. cum spiritu vini rectificatiss. institutum.

15) Residuum edulcoratum dedit grana duo terrae albae, quae cum acido nitri vehementer effervescet ab eo soluitur; sale ammoniaco autem trita huius vrinosum odore valde persenscitur; e quibus natura calcarea huius terrae satis superque cognoscitur.

16) Liquor percolatus salinus mercurium viuum et sublimatum albos praecipitat, quibus vnam expp. 2. 4. 7. et 14. partium salinarum indoles media confirmatur. Quamquam expp. 1. 5. 10. alcalinam indolem prodere videntur, tamen id magis terrae alcalinae, aut fortassis cuidam alcali volatili adscribendum esse existimamus.

Der Brunnen vor dem Iudenthore.

In suburbio ante portam iudaicam fons puteanus est, quoad colorem adspectu quidem satis clarus, quod saporem autem aliquo modo hebes, aqua reside non absimilis. Regentibus sic se habet:

1. 2. 3) cum fonte precedenti conueniunt.

D 2

4) Mercu-

XXVIII

4) Mercurio sublimato non mouetur.
5. 6. 7. 8. 9. 10.) ut in Salzmärktsbrunnen.

11) Libra una huius aquae cucurbitae ad destillandum tradita, cum incaluit pelluciditatem perdidit, et superficies tenui cùticula colorata obducta est, quae magis incalescente aqua dispersa, pulueris albi forma, a Chemicis *Cremor* vocatus, usque ad ebullitionem supernatavit. Destillatione confecta recrementum subalbidum pondere granorum octo et dimidium circiter remansit; siccatum aëris humiditatem attraxit.

12) Recrementum edulcoratum grana sex et dimidium salis, et grana duo terrae albae praebuit. Haec cum spiritu vitrioli et nitri valde effervescet, et à posteriori soluitur. Sale ammoniaco trito vinosum redolent. Igitur ex his manifestum est, hanc terram ad calcaream referri omnino posse.

Sal autem huius aquae habet colorem subluteum, figuram irregularem variam; saporem salsum paululum amaricantem; iterum solutum mercurii vivi et sublimati solutionem albo colore, posteriore tamen levissimo, praecipitat.

Der Brunnen im Buchenroederischen Hause, vor dem Ketschentbore.

In domo Dni. Buchenroeder, in suburbio ante portam interiorem, das Ketschentbor dictam, sita, fons puteanus est, cuius color quidem pellucidus, paululum tamen luteolus. Odorem resipit peculiarem, saporem penes vappidum. Exantlatione facta perplures bullulae aëreæ in vase vitro de-

(+) Mense

D

scen-

scendunt et ascendunt. A possesso valde laudatur, in suo horto vim vegetativam plantarum multum promovere; quatenus id valeat, sequentibus aliquomodo fortassis perspiciemus.

1. 2. 3.) cum fonte Wittmanniano conueniunt
- 4.) Mercurius sublimatus solutus lacteo colore multo fortius praecipitatur praecedentibus.
5. 6. 7. 8. 9.) cum fonte fori salarii conueniunt.
- 10) Spiritu vitrioli instillato euidenter ebullit, vti et
- 11) Spiritu vini rectificatissimo instillato perlenis obseruat reactio.
- 12) Ex infusione limatura martis et gallarum infusione remixto, eadem mutationes, vt in *dem Queckbrunnen* fortiores tamē et citiores oriuntur.
- 13) Libra vna huius aquae destillata dedit grana vnde-
cim sedimenti luteoli elegantis adspectus; in fundo enim vasis evaporatorii partes salinae terreas dendritarum facie miro modo percurribant, et singula quaeque pars crystallum paruum, arcano duplicato aemulum, repreäsentabat, quocum etiam sapor conueniebat. Ad latera vero huius vasis partes salinae magis fibrosae apparebant, forma et sapore nitro similes.
- 14) Sedimento eloto remanserunt grana fere tria terrae subluteae, quae cum spiritu vitrioli et nitri, vehementius tamen posteriori efficeret, a quo etiam soluitur; e quibus indoles calcarea elicet.
- 15) Liquore percolato solutiones mercurii viui et sublimati ut in praecedenti praecipitatae sunt; igitur etiam sal immixtum medium iudicandum, cumque secundum

D 3

dum exp. 13. sal nitrosum sese prodidit, aquae vis
vegetatiua ex eo inteliigi potest.

Der Brunnen in Grub.

III. Ultimo tandem loco duos fontes addamus, qui rure Coburgico prouenient, quosque ob singularem aquae indolem dignos existimauimus, qui indicentur. Primus horum sit ille, qui in pago, *Grub* dico, ab urbe per horae spatium distante, scaturit. Huius fontis descriptionem Illustr. Fischer a) ob singularem eius indolem iam olim edidit, et inter soterios retulit. Regio circa hunc fontem montibus est obsessa, quorum ii, qui versus septentrionem sunt, maxime calcareae et argillaceae indolis deprehenduntur, versus meridiem autem arenaceae conditionis, qui lithanthracum yenis angustis in superficie perreptantur. Fontis ipsius origo est in puto ad radicem montium septentrionalium in villa Dnnr. de Sand, e strato arenacea ferruginei coloris variis glebis martialibus remixto. Gaudet aqua limpida, vix yllius odoris, saporis leniter pungentis, adstringentis; ubi per prata fluit, ad riuum ora ochram fuscam dimittit, et de fornice camerae, in qua est puto, stalactires tubulares albae pendunt, parietes autem eodem lapide hinc inde obductae sunt. Reagentibus sequentes subit mutationes.

1) Syrupus violarum post aliquot horas viridis euadit.

2) Solutio argenti alba praecipitatur. b)

3) Solu-

a) Der in den Fürstenthum Coburg zu Grub am Forst befindliche Ge-
fundbrunnen etc. beschrieben von Caspar Fischer S. Coburg-Saal-
feldischen Rath und Leibmedicus. Coburg. 1735. 8.

b) Hoc illustr. Fischer se adminduuisse negat.

- 3) Solutio mercurii viui flauo colore subsider.
4) Solutione mercurii sublimati lenis lacteus color oritur.
5) Solutum cuprum, vt in Wittmanniano fonte.
6) Solatum alumen leuem opalinum colorem efficit.
7) Oleo tartari per deliquium albae nubeculae densae
oriuntur, quae breui post iterum evanescunt.
8) Spiritu salis ammoniaci, vt et
9) Spiritu vini rectificatissimo lacteo colore tingitur.
10) Spiritu vitrioli et nitri parum mouetur.
11) Huius aquae libra yna destillata dedit scrupulum cir-
citer vnum sedimenti subalbidi, indolis terreo- salini.
Terra haec cum acidis spiritibus efferuet, et sale ammo-
niaco trita odorem vrinosum spirat, unde merito ad
calcaream referenda. Sal laudatus *Fischer*, qui id in
magna copia parauit, ita describit, vt sit sal neutrum
amaricans, e crystallis subluteis, oblongis constans;
saporis amaricantis; spiritibus acidis non efferuens,
et sale ammoniaco tritum vix ullam odorem spirans.
Leni calore dehiscit et pelluciditatem perdit; aere hu-
mido et frigido vero non liquecit. c) *hs crudineas*
Praeter ea hic fons particulis martialibus scatere vide-
tur ex eo, quod saporem habeat paulo adstringentem; de-
inde ad ora riuulorum, quae lambit, ochiram fuscam depo-
nit; a quibus particulis salis color subluteus ortum ducit.
Tandem a possessoribus magno cum emolumento ad
parandum Caeruleum Berolinense adhibetur. Iis, qui hoc
fonte vni sunt, non solum teste laudato *Fischer* d) sed et
hodi-

c) 1, c. p. 13, 14,

4) L c. p. Z, e)

hodiernis possessoribus, aluum laxat, vnde non immerito ad soterios fontes, leuiores quidem refertur, cuius autem vires augeri possent, si secundum methodum Clariss. *Venel*, *Brocklesby* vel *Priestley* maiori parte aëris fixi im praegnatur. Singularis denum ei inest proprietas, vt pisces, aliqua animalia fluviatilia in eo vitam perdant, et ad purgenda lintera, macerandum linum et coquendum aptum non sit. Numne in salibus et ferro in iis soluto culpa haereat?

Der Brunnen in Meder.

In pago, *Meder* dicto, miliari uno ab urbe distante, proxime ad domum doliarii, *Meyer* nominati, puteanus fons est, qui odorem prorsus singularem, ouis putrescentibus similem, edit; qui exantiatione et tempestatis mutatione fortius sentitur. Ad potum et usum culinarem ob saporem ingratum, odori fere similem, minus aptus. Coctione cuticula versicolore obductus odorem sulphureum subtilem quidem, penetrantem, tamen spirat. Reagentibus admixtis, quae dum cum huius fontis aqua nobis allata est, ad manus erant, sequentes mutationes cognouimus,

- 1) Spiritibus nitri, vitrioli et salis, lenis orta est ebullitione
- 2) Solutione cinerum clauellatorum saturata nubeculis albis turbida facta sedimentum idem ad fundum secessit.
- 3) Vitriolum cupri solutum colore dilute caeruleo precipitatur.

4) Odor

- 4) Odor et sapor aliquo modo putris, nares et linguam pungente sensatione aquae felteranae aemulo.
- 5) Argentum politum in aquam calentem iniectum tenui fusco colore sensim obductum est.

Ex his manifestum est, huic aquae principium sulphureum alcali solutum in esse; hoc ex odore specifico, sapore pungente et exp. 1.3. patet, illud autem odor coctione perceptus exp. 5. palam facit. Singularem autem mutationem hic fons casu expertus, quo tota mixtio perturbata est. Nam occasione quadam factum est, ut circa hunc fontem meatus venae metallicae suspicaretur, ad quem denudatum puteus prope ad fontem fossus est; hoc acto scaturigo adeo larga aperta est, ut metallifossores puteum deferrere coacti sunt. Ab eo tempore fons ille multum ab odore suo et sapore amisit, simulque aquae iactura facta est. Prouenit autem scaturigo aperta e strato cinereo, molli, glebis pyritaceis et mica alba interspersis, acido aequa calcali non effervet; aëre induratum facile conteritur; rostum odorem sulphureum edit

- 1) Solutio argenti, quae ab initio opalina, sensim rubigineo tingitur colore.
- 2) Solutus mercur. viv. subluteo colore praeopipitatur.
- 3) Oleo tartari perdeliquum et mercurio sublimato nulla oritur mutatio, vt et soluto alumine.
- 4) Spiritibus acidis vix mouetur.

E

Cum



Cum hoc simul iterum comparaimus fontem puteanum, qui expp. ad no. 1. 2. et 4. institutis cum eo conuenit, ea autem ab illo differt, vt mercurio sublimato, oleo tart. per deliquum et soluto alumine lacteo colore turbetur. Terra e libra vna destillatione et edulcoratione separata, in vitroque fonte pondere granorum duorum fuit, et, vt in reliquis, tanquam calcaream terram se praebuit, vti et liquor salinus, edulcoratione adeptus, easdem, vt aqua ipsa, mutationes produxit.

Etsi quidem plura, in his peruestigationibus obuenientia, exponenda essent, tamen, ne limites circumscripas adeo transgrediar, ab vltiori disquisitione recedo, et ad id summa cum volutate propero, cuius causa haec scribenda erant, nempe vt gratissimi et deuotissimi animi officium publice exsequar. Singularis Gratia atque Clementia

SERENISSIMI PRINCIPIS
SAXONIAE DVCIS
DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI
ERNESTI FRIDERICI
PATRIS PATRIAЕ OPTIMI

fact.

factum est, vt ab *Amplissimo, Perillustris et summe Venerandorum Protoscholarchae et Scholarcharum Collegio* persona Professoris Physices mihi imponeretur; cui singulari Gratiae PRINCIPI OPTIMO alteram addere clementissime placuit, vt officium Medici ordinarii prouinciae Coburgicae simul combinaret. Ob hanc Clementiam mihi maxime aestimabilem SERENISSIMO PRINCIPI, vt muneric huius initia rite capiam, gratissimum meum animum publice profiteor piaque vota pro huius PRINCIPIS salute carissima facio, vt Deus ter optimus maximus Eum quoconque felicitatis genere beare velit.

Reliquum est, vt Vobis Committones Carissimi electionum mearum rationem, quam hoc specimine indicere iussus sum, exhibeam, quae ea erit: d. d. *Lunae et Martis* h. I - II ad duos libri, qui inscribitur: *Eberts Anfangsgründe der Naturlebre, Physices dogmata tradam.* In scholis priuatis super *Schaarschmidii tabulas osteologicas* commentabo. Sic itaque valete, mihiique fauete. Scribeb. Coburgi. d. xxiii. Nouembr. ccccclxxv.

Errata.

p. I. l. vlt. l. modo p. 6. l. 11. l. nunc ab aris. l. 20. nec, del. comm. I.
23. l. partibus p. 8. l. 20. l. stagnans. p. 9. l. 3. l. ea. p. 10. l. 1.
l. suaquaque. p. 11. l. penult. l. lapidis scissilis. l. vlt. l. colore viridi.
p. 12. l. 6. l. lapideaque. p. 15. l. 12. post. has. del. ; p. 16. l. 4. l. earum.
p. 19. l. 5. l. duabus. p. 24. l. 1. l. partim seleniticam.

B.I.G.

Farbkarte #13



11, 3
DE
CONTIBUS QUIBUS DAM
COBURGICIS EXPERI-
MENTA

Y
C
1914

QUIBUS
AD MUNUS
PROFESSORIS PHYSICES
PUBLICI ORDINARII IN ILLUSTRI
CASIMIRIANO ACADEMICO
RITE CONSTITUTUS
LECTIONES SUAS

INDICIT
HERRMANN. GOTTLIEB. HORNSCHUCH.
MEDIC. DOCTORAND. PROFESSOR PHYSICES PUBL.
ORDIN. ET PROVINC. COBURGIC. MEDICUS

ORDINARIUS.

COBURGI
EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA.